



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris  
Theologi Architectura Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniae Agrippinae, 1653**

2. Trulla-Sacramentum legis Nouæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

## ARTICULUS II.

## TRULLA

*Sacramentum Legis Nouæ.*

**S**I hominem, tanquam Architectum contemplemur, **D**omum Sapientiæ in Animâ extruentem, rectè dicemus, *Trullam esse Sacramentum* quodlibet, in quo, velut in architectonicæ eius generis instrumento, continetur Diuinæ Gratiæ calx, quâ parietes Domus illius, & ad pulchritudinem & firmitatem illinuntur. Porro, ut paries semel litus facilè crustâ suam amittit, nisi iterato liniatur: & si primum tectorium decidat, necessariû est est rursus *Trullam* adinouere; ita facilè præcedens Gratiâ deperditur, nisi Sacramentorum frequentatione iterum, iterumq; Gratiæ calx obducatur. Quod si fiat, nullis tempestatum lædi poterit iniuriis, nullisq; deteri tentationum, velut imbrium decidentium incurfibus.

**CAUENDVM** autem maximè Architecto Morali, ne sit exijs, de quibus Ezechielis XIII. *Dic ad eos, qui liniunt absq; temperatura. quod casurus sit: erit enim imber mundans, & dabo lapides prægrandes desuper irruentes & ventum procellæ dissipantem. Siquidem, ecce cecidit paries: nunquid non dicitur vobis, ubi est litura, quam liniistis? Absq; temperamento dicuntur linire Cœmentarij, qui vel absq; paleis, quibus temperatur, aut miscetur argilla, siue cœmentum, vel absque moderatione adhibendo plus, aut minus. Aquila vertit, sine Sale: quia, ut caro sine sale, siue insulsa, non est solida, & firma, sic neq; lutû sine paleis: immò, nisi calx salis & prælegminibus coriorum misceatur ac rectè misceatur tēperetur, q̄ docet Vitruuius lib. VII. cap. 2. & 3. ad deal-*

batio-



bationem non est idonea. Optimum documentum pro Architecto Domus Sapientiæ, vt cum temperaturâ omnia agat, in vsu sacrorum, in exercitatione virtutum, in vsurpatione Sacramentorum: temper sal discretionis interueniat in omni litura: nihil insulsum faciat, dicat, cogitet, nisi ædificium, velut domum tempestatibus expositam, velit per imbrem, grandinem; ventos, pcellas occasionum, tentationumque obrui, penitusque euerri. quod absit.

DISSERVI haftenus de Instrumentis Artis Architectonicæ Christianæ, id est, benè viuendi, quæ est Ars artium, Scientiæ scientiarum; & vsum ostendi, Regulæ, Perpendiculari, Normæ Libellæ, & tot aliorum ad Trullam vsque. Quod si toto & huius anni, & vitæ vestræ tempore, nihil faciatis, dicatis, cogiteris, nisi diligenter examinatum ad legem æternam, naturalem, diuinam, humanam quæ sunt Regulæ nostrarum actionum; nisi probatum Exemplo Christi, quod est Perpendicularum virtutum; nisi conforme exemplis Sanctorum, quæ sunt Norma nostrorû Officiorû; deniq; nisi ad Libellam discretionis & prudentiæ exasciatû, Calce Sapientiæ à Trullâ Diuinæ Gratiæ obductum, nihil in vobis desiderabitur ad huius vitæ felicitatem, quæ consistit in virtutum cultu, & est lemen beatitudinis vitæ alterius, quæ sita est in Visione, Amore, ac Fruitione DEI Vnius & Trini, cui hoc anni initio, ac deinde frequentissimè grati lætiq; accinamus,

*Gloria Patri & Filio, & Spiritui-Sancto. Amen.*